

XXII
1737.135

DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
**AQVIS DESTILLATIS
OFFICINALIBVS**

QVAM
P R A E S I D E

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

PRO GRADV DOCTORIS

RITE CONSEQUENDO

A. d. Junii Anni MDCCXXXVII.

PVBLINE DEFENDET

CHRISTIANVS GODOFR. LIEBERS
SCANDAVIENSIS MISNICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE
Litteris JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

22



VIRO
SVMME REVERENDO
DOMINO
M. IOAN. GOTTFRIED
HÆNTZSCHELIO

S. S. MINISTERII ZITTAVIENSIS SVMME MERITO PA-
STORI PRIMARIO.

NEC MINVS
PRÆNOBILISSIMO ATQVE AESTVMATISSIMO
DOMINO
IOANNI CHRISTIANO
HÆNTZSCHELIO

S. REG. MAI. POLONIARVM ET ELECTORIS SAXONIAE
VTRIQVE ACCISÆ ET PORTORIO ALBIS PRÆ-
POSITO REGIARVMQVE RATIOVM
MAGISTRO &c.

DOMINIS
PATRONIS AC MÆCENATIBVS
MEIS AD CINERES VSQVE COLENDIS.

VIRI PRÆCLARISSIMI
PATRONI, PATRVELES, MÆCENATES
SVMMÀ ANIMI PIETATE ATQVE
HONORE PROSECVENDI,



Andem SVMMVM NVMEN
eis, quæ per omnem fere
vitam meam assidue optavi,
annuit, & tandem jucun-
dum mihi apparet tempus,
quo vobis, PATRVELES AC MÆCENATES AE-
STVMA TISSIMI, gratam & obsequiosissimam
meam mentem publico exhibeam speci mi-
ne. Nec levi animo tot non numeranda
benevolentia atque beneficiorum vestro-
rum genera mihi sunt consideranda, quo-
rum me a prima ætate & incunabulis par-
ticipem redditistis. Cum enim præcipitata
morte per tridui spatium parentibus orba-
rer, a Te, VIR PRÆNOBILISSIME, statim su-

A 3

sce.

sceptus, alterum quasi in Te, parentem,
inque Tua Beata, vt & in ea, quæ adhuc
Tibi ad magnam animi voluptatem vivit,
conjuge, alteram matrem deprehendi, ita
vt ad hunc vsque diem non senserim, me
parentibus destitutum fuisse. Tua optima
tutela & paterna cura non parum magni
æstimanda, educatus sum, nec quicquam
omisisti, quod vlo modo me fortunatum ali-
quando reddere posset. Hinc curam
intendisti, vt a priuatis præceptoribus id,
quod honestum, quod turpe, quodque vi-
rum reddit eruditum, addiscerem. Post-
quam vero paululum ætate prouectus, ad
illustre Zittaviæ Gymnasium missus sum,
per sex annorum spatium perpetuo fruebar
Tuo Fauore ac sustentatione, quæ benefi-
cia *Tui Dilectissimi Fratris, Macenatis* mei *Optimi,*
paribus accumulabantur, siquidem in lite-
ris & moribus non solum, verum etiam in
iis, quæ Deo accepta sunt, magna indu-
stria

stria ab eo instruebar; de reliquis, quæ non
satis extollere possum, mentionem facere
nolo. Quamquam vestra, VIRI PRÆCLA-
RISSIMI, MAECENATES AESTVMATISSI-
MI, beneficia, quæ in me collocasti, sem-
per non leuia erant, a die tamen ad diem
pluribus ac simul majoribus, præsertim cum
altiora peterem, coagmentabantur; dum Tu,
VIR SVMME VENERANDE, mei læpius me-
mor fuisti: & FRATRIS TVI CHARISSIMI be-
nevolentiam atque indefessam curam, perin-
de ac patris erga filium, per tres, & quod
excurrit, annos in vita mea academica lar-
giter expertus sum. Quorum omnium
si recordor, necesse habeo, per omnem me-
am vitam vires eo intendere, quo gratum
atque obsequiosissimum meum animum
Vobis patefaciam. Qua propter meas re-
rum eruditarum primitias deditissima men-
te TIBI, VIR SVMME VENERANDE nec mi-
nus, TIBI, VIR PRAENOBILISSIME, PATRO-
NI,

Nⁱ, PATRVELES ac MAECENATES
mei Praclarissimi, trado, atque tanquam do-
narium eas ad vestram aram obsecrans
offerо, vt summa diuina Majestas VOS, vna cum
tota vestra Celeberrima Familia, semper con-
seruet saluos & incolumes, primumque me-
um conamen eo evenire jubeat, vt vobis
gratum acceptumque sit. Admittatis igit-
ur, precor, hocce leve specimen serena &
læta fronte, & dignum me imposterum ad-
huc vestro Fauore ac Patrocinio Optimo æstima-
te, qui sum, semperque ero

VIRI PRÆCLARISSIMI
PATRONI, PATRVELES AC MÆCENATES
SVMME COLENDI

Obsequiosissimus ac deditissimus cognos-
sus & cultor vester

CHRISTIANVS GOTTFRIED LIEBERS
SCANDAV. MISN.

Q. B. F. Q. V.
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

AQVIS DESTILLATIS.

PROOEMIVM.



Vita in officinis pharmaceuticis
hodie extare, quæ antiquiori-
bus sæculis prorsus ignorabantur,
nemini obscurum esse po-
test, cui placuerit antiquissi-
mos libros euoluere, qui a ma-
ioribus conscripi sunt, ut pharmacopœi illis pro
norma vterentur, aut ipsos auctores practicæ
medicinæ inspicere non graue fuerit. Hæc in-
ter non antiquissima referri suo merito debent a-
quæ destillatæ, quarum magnus est in officinis
nostris numerus, tam simplicium, ex una planta,
vel quadam eius parte, sine ullo additamento
prolectarum, siue ex pluribus coniunctis, aut plu-
rimum succis paratarum, siue additamento vini,
aut spiritus cuiusdam ardenter, concinnatarum.
Neque solum ex plantis aut fructibus elicere a-
quas tentatum fuit, verum etiam animalia inte-
gra, eorumque partes quædam, destillationi sub-

B

iecta

iecta sunt : quin eo vsque progressa est diligentia male consulta vt & aurum, margaritas, lapides pretiosos, terras, aliaque similia, destillationibus subiiceret. Hæc res effectit vt cordati viri , qui pharmacopoliorum omnem suppellestilem ad censem & centuram reuocauerunt, de plerisque aquis multa, quæ laudare se non posse putabant, consignauerint, & hæc inter aliqua nimis generatim pronunciarent, quæ, vt vere de quibusdam prædicari possint , certe de singulis accepta aliquando egregie fallunt & experientiæ repugnant. Quum igitur operæ vtique pretium sit , cum in qualibet re alia, tum in illis , quæ publica auætoritate in officinis ad cuiusvis ægrotantis vtilitatem prostare debent , cognitum certumque habere quid vere exspectari possit , quidque dubium aut omnino fallax sit: statui ingenium & industriam in hoc potissimum argumento exercere. Facile præuideo fieri vix posse vt de singulis , præsertim simplicibus aquis , satis accurate hic disseratur: quum vel numerum eorum certe & rotunde proferre haud facile quisquam ausurus sit. Nam nulla certa lege determinatus est , & per singulas fere vrbes aliae, plures, pauciores desiderantur & prostant. Quin multæ olim expertæ ab uno vel altero practico , post obitum eius exolceunt & obli-

& obliuioni traduntur; forte suo tempore reuocandæ: aliquæ etiam priuatis quorundam vſibus & experimentis cognitæ, in scriptis iactantur, aut priuatim aſleruantur, sed publici vſus prærogatiua deſtituuntur. Quæ mihi præmonenda fuerunt vſa, ne nimis acerbe reprehendar, ſi per ſingula ire non liceat; &, non librum, ſed diſertationem, ſcripturo præcipua tantum curæ fuerint. Ceterum precor beneuolum lectore vt a me optimo animo dicta ſcriptaue in optimam partem interpretetur.

§. I.

Aquam destillatam vocamus in officinis pharmaceuticis talem humiditatem aquam, quæ ope caloris & instrumentorum idoneorum, ex rebus humiditati tali in forma vaporis exhibendæ aptis, colligitur & elicitur, inque vſus varios reponitur, vt cuius expertenti poſſit exhiberi. Quoniam familiarissimus modus præparandi hic eſt, vt res destillandæ apto vafi, ſive metallico, ſive figulino aut vitreo indantur, cui ignis conueniens ſubiici poſſit: eius autem ori aptetur capillum ſatis amplum in quo vapores adſcendentēs colligantur, &, vtpote in frigidiori ſpacio, condensentur in guttulas, quæ collectæ per roſtrum defluant & deſtillet, hinc nomen huic operationi datum eſt, vt vocetur *deſtillatio*: productus autem hoc modo & colle-

B 2

etus

Etus humor appellatur destillatus : si aqueus , aqua *destillata* , si spirituosus , spiritus , aut aqua *spirituosa destillata* , si acetum , oleumue , acetum destillatum , oleum destillatum . Erit igitur aqua destillata , aliquod arte pharmaceutica præparatum humidum aqueum , quod ex illis , vnde prolectum est , alias particulas , quæ in vapores resolui & elemento aqua combinari possunt , continet , & in corpus hominis assumentis transferre potest , aut posse creditur . Si ex uno subiecto , destillationi adhibito , paretur , erit aqua *simplex* , vt rosarum , liliorum conuallium , melissæ : Si duo coniungantur , solent in titulo coniungi , vt aqua liliorum conuallium lauendulata , cerasorum nigrorum lauendulata , aqua cinnamomi cydoniata . Eadem subiecta si cum vino superfuso prius digerantur , & deinde destillentur , prodeunt aquæ *simplices spirituosaæ* , quæ etiam *cum vino* notantur , vt aqua cinnamomi c. v. aqua veronicae spirituosa . Quoties qlura simul assumentur simplicia , quæ communi aliquo menstruo , sive aquoso , sive spirituoso , macerantur , & deinde simul destillationi subiiciuntur , prodit aqua *composita* : cuiusmodi destillatis vt plurimum nomen ab effectu , quem inde exspectarent inuentores , imposuerunt , qualia sunt aqua apoplectica , antiscorbutica , asthmatica , carminativa , cephalica , &c.

§. II.

Sunt in officinis aliqua , quæ nomen aquarum gerunt , quum nec destillatae sint , nec omnino aquæ ; qualia ad argumentum nostrum proprie non pertinent : propter homonymiam tamen , quæ errorum mater est , omitti non debent . Sic aqua *benedicta Rulandi* celebris est ,

est, quæ infusum vinorum vitri antimonii aut croci metallorum, vel vinum emeticum concinnius diceretur. Ab hac diuersissima est *aqua benedicta pharma copœa Buteana*, per Belgium & Britanniam frequentissima, quæ nihil aliud est, quam aqua calcis viuæ ad vflus internos comparata: vt & *aqua benedicta Minſichti*, quæ est serpylli composita. Valde quoque incommodo in aquarum classe censentur in dispensatorio regio & electorali Porusso-Brandenburgico descriptæ *aqua vite contra pestem duplex*, & *aqua vite stomachica externa*, quæ nihil aliud sunt quam essentiæ dilutiones, quippe sola spiritus vini ad extrahendum affusione, digestione, & per chartam emporeticam traiectione, adeoque destillatione admodum improprie dicta, parandæ. Non dicam de eo abusu, quo aquæ vite nomen tribuitur destillatis totis spirituosis, & nonnunquam oleosorum insigni copia imbutis, vt illa a Matthiolo denominationem adepta: nec de ea, mulierculis quidem maxime frequenti notione, multa verba faciam, qua aquam, præfertim Martio mense e niuibus liquatis collectam, destillatam putant, quando illa in vase vitro radiis solaribus exposita diu stetit, multumque sedimenti depositum: cum quibus loquutos aliquando, per dissimulationem quandam, notaui doctos viros, præfertim Helimontium, qui semel iterumque, de propriis sibi medicinis verba faciens, destillationem talem, non aliam, intellexit: quod, qui non animaduertunt, longe ab eius mente ad aliena dilabuntur.

§. III.

Ipsum destillationis modum nolo amplis verbis describere: quoniam in mille libris legitur, & ad ipsas

B 3

mu-

mulierculas peruenit, quarum plures sunt, quæ multum operæ & temporis in ea consumunt. Vulgatissimus modus est, vt herbis aut floribus recentibus, vesicæ stanno probe obductæ inditis, aqua vel pluuiâ, vel superiori æstate destillata & adhuc superflua, infundatur, deinde lento primum igne, vt emollescant, detineantur, postea augendo, vt vapores sursum pulsî in capitellum assurgant, ibique in guttulas collecti effluant per rostrum, quod canali serpentino, longo tractu per aquam frigidam in satis amplio dolio contentam, abdito commissum est, cuiusque canalis extremo excipulum commode aptatum est. Atque hoc vas excipiens crebro mutatur, vt cognoscatur, quando adestillatione desistere oporteat. Quamprimum enim plane limpida & inodora ferri aqua incipit, desinendum est, ne hæc prorsus iners prius egressam bonam inquiet & omnino corrumpat. Atque hæc fere fiunt in illis, vbi herbæ recentes aut flores destillationi subiiciuntur. In horum nonnullis, vt lauendula, mentha, melissa, ruta, millefolio, absinthio, chiamælo, non tam aquæ, quam olei causa destillationem suscipimus, quod vt largissime consequamur, opus est per biduum aut triduum prius macerare summitates floridas ab herbaceo abscissas, salis aliquot manipulis adiectis, & deinceps destillationem tam diu virgere, donec nihil olei videmus supernatare. Atque ex tali destillatione aqua quæ primum prodiit, tantum vnum præstat, reliqua, tamquam inutilis, abiici debet.

§. IV.

Si aromatica magis compacta, vt cinnamomum,
caryo-

caryophylli, cardamomum, destillanda sunt, oportet illa prius crassiuscule contusa, vitro vasi indere, assu- saque aqua super cineres calidos aut fornace calente per aliquot dies relinquere, addito, si placet, salis communi- nis aut marini aliquantulo, & tunc destillationem, igne primum satis moderato, instituere, deinde post multas horas auctiori, ut omne oleum eliciatur: sed aquæ de- stillatae vsum non præstat, nisi illa, quæ primum pro- diit, turbidula, lactescens. Reliqua, quæ olei omnis eliciendi causa abstracta fuit, inseruire potest ut denuo assundatur, iterumque euocetur, dum omne oleum impetrastis nos certi simus. Hæc inter omnino prouidendum est, ne destillationem nouam, præsertim quæ oleum simul exspectare iubet, vnquam suscipiamus, nisi prius & alembicus & canalis serpentinus optime fuerit per aquam feruentissimam, eamque satis multam, repurgatus, aut omnino per spiritum vini rectifi- catissimum: quum non solum a priori destillatione adhærescens oleum, cum nouo destillato iunctum, vires & odorem alienum ipsis tribuat; verum etiam, quod longe peius est, ærugo in partibus astantio non con- tactis enata, promte soluatur, sicque & olea & aquas corrumpat. Atque haut scio an maius hic sit pericu- lum ab vilo destillato, quam a rosis, quæ aliquid pin- guisculum, quod tamen in frigido nimis cito con- crescit, relinquere solent. Hoc nisi illico post abso- lutam destillationem curiose & diligenter eluas, certe videbis post aliquot dies æruginem attraxisse, & nouo destillato, etiam oleo dando per se non apto, super- natare: quod si exploraueris & originem a rosis, & con- tagium metallicum venereum, facillime poteris deregere.

§. V.

§. V.

Evidem haud ignoro quam multi modos destillandi alios, & quos ipsi putant multis parasangis meliores, proposuerint: quales videri possunt apud celeberrimum D. D. BOERHAAVE *element. chem. tom. II. proceſſ. I. vt & XVII. & XVIII.* Sed quum mihi consilium sit de officinalibus agere, id est illis, quæ a longo tempore receptæ sunt, & longius duraturæ videntur; non de recipiendis: suspendo de illis iudicium, & illo, quo vtimur, Catone fruendum existimo, quamdiu hæc est, quæ nunc obtinet, rei pharmaceuticæ facies. Si quis autem pro usib[us] domesticis, aut priuata dispensatione, comparare sibi meliores cupit, sine dubio operæ faciet pretium nonnullis enchireshibus; sed nulla re maius, quam repetita a recentibus plantis abstractione: præfertim si iusto tempore collectas adhibuerit, scilicet herbas, quando maxime ad vigorem perueniunt, neque tamen iam nimium induruerunt: eas autem, quæ florentes expertuntur, antequam deforescant, nisi in aliquibus, vbi oleum potissimum desideramus, illud exspectare tempus consultius existimetur.

§. VI.

Non potest vtique dubitari, quin vna planta præ altera destillationi aptior sit; immo manifestum est quanto plus virium insit aquæ ab odoratis plantis abstractæ, ut melissa, mentha, pulegio; quam a minus odoratis, fcorzonera, floribus papaueris rheeados, nymphææ albæ, bursa pastoris. Neque tamen propterea negari debet, posse etiam ab inodoris hisce, aut saltem minus manifester aromaticis, abstractas aquas multum natu-

tiuarum virium complecti; præsertim si destillatio se-
mel iterumque repetatur, semperque nouæ plantæ, no-
uique flores adhibeantur. Iam ante laudatus D. D.
BOERHAAVE, l. c. p. 18. id, quod in plantis efficax est
& destillatione elicetur, spiritus rectoris nomine deno-
rat, & de eo sic scribit: *Est hic spiritus plantarum res
prosper singularis in unoquoque Stirpium genere; est inimita-
bilis omnino, neque arte producendus vlla, vires habens igi-
tur sibi soli proprias, mire tamen amicas nostris hominum spi-
ritibus: hosque alie gerunt sensibus nostris admodum mani-
festos, alia autem eisdem habent organa nostra offactus. Egua-
lus vix afficentes actione nobis obseruabili.* Mirum est
quam confidenter aliqui declament in multitudinem
aquarum, quas prospers fatuas viribusque cassas contendunt,
quando nihil in illis deprehendunt ore aut na-
ribus exploratis. Sed pridem illis responderunt viri
non minus circumspæcti & iudicio sobrio ferendo idonei.
Hos inter maxime refeto illustrem quandam vi-
rum, & immortali etiam post pia fata nominis gloria
florentem, OLAVM BORRICHIVM, qui in Herm. *E*
Aegyptior. ssp. vindicat. cap. V. multa Boerhaauianæ sen-
tentiae declarandæ & confirmandæ idonea profert.

§. VII.

Mihi quidem semper visum est non esse temere sol-
licitandum, quod experientia edocit viri ad nos trans-
miserunt. Audiuimus multos etiam magna contentione
diferentes, nihil interesse siue aquam simplicem, siue
destillatam lactucæ, fl. papaueris rhœados, aut nymphæ
adhibeas: enim uero certo, & experientia edo-
ctus, scio multum utique interesse, insignesque vires

C

anodi-

anodinas in his aquis, modo rite elaboratis, latitare: quare operam vtique non ludit, quisquis in emulsionebus, quibus dolores delinire, æstum contemperare & blandum somnum inuitare querimus, has potissimum aquas adhibet. Illam, quæ a plantula vulgari, quam purissimam paſtoritiam vocant, ter quaterue abſtracta fuit, a præclaris medicis commendatam ſæpe legi, in cohibenda nimia fluxuum variii generis vehementia, ſed præclaram, fateor enim, ſpem nullam de ea foui, donec vidi ſenem balneatorem, in femina mensium nimia profuſione laborante, hac tandem aqua effeſſe, quod duo docti medici longe ſpeciosioribus, maioriq[ue] auctorum nouisimorum consensu ſummopere commendatis, efficere non potuerant. Eſto itaque aliquas proſtare aquas deſtillatas, quæ paria promiſſis & exſpectationi non faciant: proinde tamen de omnibus, quæ nihil actiui principii ſenſibus illico offerunt, idem pronunciare nolle. Eſto acetofæ & acetofellæ aquas deſtillatas egregias vires, quæ in recentibus foliis eorumque ſucco latent, non poſſidere: quod respectu aciditatis ampliſſime concedo: annon tamen acetofa adſtrigentes rumicium vires, ob quas hanc aquam potiſſimum commendari ſcio, ex aliqua parte in deſtilatum traſmittere valebit?

§. VIII.

Et quoniam ſemel ad hunc locum, qui experientiam in comprobandis aquarum viribus iudicem facit, adducti ſumus, eidem porro auſcultare decet. Hanc autem quisquis consulit, obſeruabit vtique aliquibus olim

olim tributas esse vires, quas vel non habent, vellon-
ge diuersas ostendunt. Sic rosarum aquæ tribuuntur
insignes vires analpticæ & cor roborantes: si vero in-
fanti, aut debili ac sensibili subiecto, copiose ean-
dem dederis, obseruabis utique catharticam, quæ sa-
pe per aluum, non raro per vomitum etiam euacuat.
Scilicet hoc facit ex nativa florum rosa pallida virtute,
quæ potenter cathartica est, cuiusque effluvia con-
fertim per nares hausta non raro purgantem efficaciam
promte in quibusdam exseruant. Hæc itaque in aerem
diffluens virtus tanto magis migrat in aquam destilla-
tam, prælertim talem, quæ læpius a recentibus floscul-
lis fuit auocata. Video multos, quum illum effectum
animaduertissent, causam reieceris in vitium, quod a
vase destillatorio contraxerint. Enimuero talis qui-
dem aqua, cupreis particulis inquinata, tanto vehe-
mentius id utique facit; neque nego dari talem erro-
rem, sed maxime esse frequentem & facilem supradictam
inui: sed idem certo scio quam optimam & in purissi-
mis vasis, quin mere vitreis, paratam aquam rosarum
sua natura esse catharticam. Miror, cur doctus vir &
seuerus censor pharmaceuticæ rei, hoc etiam vitio de-
derit, quod officinæ rosas pallidas, albas & rubras ha-
beant, quum unum genus sufficiat. Facile utique est
aliquid reprehendere, sed sine vitio reprehendere sa-
pientum est. Florum rosa pallida vim purgantem be-
ne noscebant veteres; iidemque rubras, ob vires toni-
cas, inter cordiales referebant. Sed ista libido omnia
reformandi, multa confundit, totasque disciplinas
corrumpt.

C 2

§. IX.

§. IX.

Quod de aqua roſarum diximus, idem tenendum
de illa putamus, quæ a liliis conuallium educitur, cu-
iū virtutem catharticam plus sentiremus, si non pluri-
mum adhiberetur illa cum vino destillata, vnde fit ut
spirituosum adiunctum catharticas, vires suppressat. Sed
ex hoc fundamento diiudicanda videtur egregia & num-
quam satis laudanda efficacia resoluens & aperitiua,
quam hæc aqua vinosa intus data exhibet, ipsoque vſu
externo ostendit. Atque his exemplis edocetus non du-
bito, quin dentur aquæ destillatæ aluum laxantes.
Quamquam enim in hominibus robustis, perfecte sanis
& vegetis illa virtus non adeo facile perspicitur: quin
nec in robustis & adultis, aliquo morbo tentatis, ab
exigua dosi, & quando cum aliis permixta sunt, adeo
fensi biliter notari potest: haud tamen desunt obserua-
tiones alui subinde commotæ, vbi minime tempesti-
uum & exoptatum videbatur, postquam aquæ ab plan-
tulis laxantibus destillatæ, sub ſpe alexipharmacæ vir-
tutis, copiosius fuere pueris & imbecillioribus adhibi-
tae. Sic de aqua fumarial leguntur feriæ admonitiones,
ne nimis ſecure præbeatur infantibus & puerulis vario-
losis, quod ſæpe intempestive concitet alui fluxus.
Certissime perſuadum habeo posse ex fumarial parari
aquam quæ ſemper laxet, & aquam quæ mere & poten-
ter fit diaphoretica; pro eo ac illa planta magis vel mi-
nus adulta affumitur. Et qui extractis parandis dili-
genter attentamque operam dederit, obſeruaffe debet,
quam diuersum proueniat ex eadem hac planta: ita ut
in adultiori, quæ iam fere defloruit, nihil efficiat, niſi
spiritum vini ad opem voces: quum in recenti & te-
nerri-

nerrima illo nihil opus sit, sed copiosum, at diuersi ingenii diuersarumque virium, colligere liceat. Atque hæc obseruatio ad plura pertinet vegetabilia. Nam si millefolium aut chamælum, matricariam, absinthium, tanacetum, pluraque similia, destilles, quando nondum florent, aut aliqua parte defloruerunt & semen naæta sunt, certe eueniet vt aqua longe alia & diuersa prodeat, quam quæ proditura est, si tardius ad destillationem veneris.

§. X.

Vlus aquarum destillatarum plurimus est, vt seruant pro vehiculo medicamentorum intus sumendorum, vt puluerum, essentiarum, tincturarum: deinde emulsionibus faciendis, atque potiunculis & mixturis, itemque iulepis: longeque plura sunt, quæ de hoc obseruanda præcipiuntur, quam vt hoc loco adduci possint. Proprie de hoc præcipiunt, qui de formulis præscribindis agunt: magis etiam qui morborum singulorum curationes edocent. Sunt tamen aliqui affectus, in quibus curatio integra sæpe aquis destillatis permititur. Sic in puerulis suppressione vrine laborantibus aqua fructuum halicacabi sæpe celerem & manifestam opem præstat: & tussim vehementissimam conuulsuam aquæ dracunculi esculenti rite parata præsentanco effetu solatur: & ROBERTVS BOYLE refert de quadam aqua perficariæ, quam acidam Iungermannii putamus, ad calculi curationem multis experimentis spectatissima. Non vacat plura huius generis ex non vanorum auditorum obseruationibus nunc recensere; quæ experientia suffragio vel confirmanda vel repudianda liberime permitto.

C 3

§. XI.

§. XI.

Ante, quam ad aquas compositas pedem promoneamus, vel verbo attingere oportet illas simplices, quæ ex animalium partibus, aut iisdem integris, parantur. Sunt quidem pauca illæ, quæ absque villa adiectione destillantur: videatamen laudari ex tenellis cervorum cornubus & molliusculis in partes concisis ope balnei, quod vocant, maris euocandam. Accedit, cui aliqui multum tribuant, e stercore vaccino eliciendum destillatum, quod florum omnium vocant; quamquam alii eandem, aliquota parte vini adiecta, sine dubio præstantiorem, præferunt: quo exemplo etiam paratur dicta aqua hippenterorum, quæ laudatores utique habet magnos viros. Evidem non inuideo talibus laudes, quas experientia confirmauerit: neque tamen me indigere putauit huiusmodi, quæ natura hominum abominatur. Forte mecum sentient, qui millefolium & chamæmelum intimius perspexerint; ex quibus, ut pote ex stercore agris illato præcipuas vires attrahentibus, indeque maxime succrescentibus, vim anodinam aut sulphureum illud animale depuratum & longe minus abhorrendum, certe tamen efficacissimum, depromere licebit. Sunt etiam qui aquam a lacte destillatam commendant: qui videant quanto meliora præstitura sit, quam serum lactis possit.

§. XII.

Aquarum vinosarum non inutile, sed maxime laudandum utique inuentum iudicamus: forteque non iniusta optant, qui loco multarum admodum imbecillium aquarum plures vinofas prostare vellent. Enim vero

uero incommodum valde est, quod durabiles non sunt,
sed in acetum facile migrant, si non bene frigido loco,
plenisque & accurate deligatis vasis, continentur. Sic
memini cuidam practico multas aquæ veronicae vino-
sa mensuras in acetum sat acre fuisse versas, quuni diu-
tius asseruata fuisse. Floret hæc, quam modo com-
memorauimus, veronicae aqua vinoſa commendatione
b. D. D. STAHLII, qui illam præcipue ad tussim, tam
hypochondriacam quam pectoralem, phthisicorum &
hecticorum incipientium, commendauit. Quisquis
experiri voluerit aquam vinoſam ex summitatibus mil-
lefolii floridis paratam, mirabitur egregie sedatiuas eius
vires cum in aliis efferatis euacuationibus, tum vel ma-
xime in vomitu nephriticorum, & colica hæmorrhoi-
dali & hyſterica. Si quis millefolio addere chamæme-
li vulgaris dimidium velit, aliquanto etiam efficacio-
rem hanc aquam effecerit, quæ omnino polychresta
erit ad omnes intestinorum spasmaticos affectus. Non
licet omnes recensere, quæ in hac claſſe exſtant lauda-
libes. Iam attigimus illam a liliis conuallium, quæ re-
ſolente efficacia eſt optima: menthæ, melissæ, citri,
pulegii, cinnamomi tales aquæ, cum illis a rubo idæo,
cerafisue nigris abſtractis temperatæ, & syrupo quo-
dam acidulo aut alias conueniente gratioreſ redditæ,
non ſolum efficaces ſunt, ſed cum efficaci etiam iu-
cunditatē conſpicuam feruant, magnoque emolu-
mento vtentium cedunt. Proxime ad has accedit aqua
cinnamomi cydoniata; quæ, ſi ſuccus ex probe matu-
ris cydoniis fuerit, gratissime ſpirituosa prodiſ: qua-
re caudendum eſt ne emulsionibus addendam hanc præ-
cipiamus, quia, quæ bona & laudabilis eſt, eam debet
præ-

præcipitare & corrumpere , ob spirituosa partem,
quantumuis debilem & non admodum in sensu in-
currentem.

§. Xlii.

Nunc vero ad aquas compositas accedimus : quæ
vel aquosæ vel spirituosa fūnt, vel ab aceto, acidisue
succis additis , sub destillatione paululum intensiori,
aliquid adsciscunt. In tanta earum multitudine illis
potissimum attendemus, quæ in nostris regionibus ma-
gis visitatæ fūnt: quare, vbi nihil addiderimus , respici
ad descriptionem in *dissensatorio Regio & Elec. Poruss-*
Brandenb. semel monuisse sufficiat. Sed missis tantisper
illis, vbi vinum aut spiritus eius accedunt, ceteras si-
mul complectemur ; parum morati acetum adiectum,
vbi balnei calore instituenda destillatio præscribitur,
quum hic acetum non possit in sublime pellere, & mi-
nus etiam acida salia succorum acidorum, quippe ace-
to fixiorum. Primum se offert *aqua alexipharmacæ*, fa-
tis inconcinna, cum cornu cerui, radices succisæ, tor-
mentillæ, bistortæ, seminaque pleraque , nihil largiri
possint, minus etiam camphora & lignum aloes, succo
citra & aceto rosaceo infusa & per balneum deftillan-
da. Non parum concinnior est formula *aqua prophylac-*
ticæ quæ & *acetum prophylacticum* dicitur, vbi vegeta-
bilia alexipharmacæ & adstringentia, aceto deftillato
infusa, ad siccitatem fere deftillanda præcipiuntur in
cineribus. Dubito tamen magnopere , annon longe
sit melior & efficacior futura medicina, si simplex ace-
tum talibus infusum & imbutum assumeretur. Certe
SYLVIVS, qui auctor perhibetur, non aquam prophylac-
tiæ.

lacticam, sed acetum hauriebat, ante quam domo exiret, quum Amstelodamensibus loemiatri officium praefaret.

§. XIII.

Longe minus concinna est *aqua cordialis frigida* HERCVL. SAXONIÆ, cuius vitia, nullo modo infi-
tianda, iam sæpius notata sunt, præ ceteris autem ab e-
ditoribus dispensatorii Brandenburgici. Non dicam
quid vere cordiale a succo florum cyani vel iaceæ tri-
coloris exspectari possit: certe terra Lemnia & sigillata
alia, cum bolo Armena, succis acidis acetoque addita,
cum quibus triduo ante destillationem digerenda præ-
cipiantur, parum ad leges artis quadrant; quum nec
ipsa hæc terrea habeant, quod destillando auferendum
tradant, & magnam acidorum succorum partem illo
tempore corrumpant. *Aqua citri composita ex succis*, bal-
nei etiam calore euocanda, parum boni promittit, &
testimonium perhibet de auctoris, quisquis ille fuit, exi-
guæ scientia rei destillatoria. Nouem plantarum bo-
nos succos cum lœx pomis citriis plane pessundat, quum
præscripto modo nihil boni elicere liceat: saltem illud
certum est, quod remanens a destillatione optimas &
plurimas vires custodiatur. Atque haud scio an multum
exspectari possit ab *aqua antiscorbutica temperata*, quæ
paratur aquam antea seorsim a decem plantis destilla-
tam, iisdem plantis coniunctis denuo infundendo, &
per balneum euocando.

§. XV.

Aqua apoplectica LANGII, viri quondam celeberrimi, & inter medicinæ instauratores in nostra Germa-
nia

D

nia referendi, ab ipso auctore *Epiſt. medic. lib. III. p. 783.* insigni encomio commendata, tamquam mirabile remedium ad præſeruationem ab apoplexia, & curationem morborum neruosi generis frigidorum, in ipsius auctoris descriptione fatis inconcina, tolerabilis in pharmacopœa Augustana nostroque dispensatorio legitur, nec omnino iners deprehenditur, quamquam magis optandum, quam firma fiducia sperandum est, ut promissa implere posit. *Aquam hiruninum*, quam internam aut visitatam designant, longa possessio tueretur; cumque potius vehiculo aliarum medicinarum appropriato seruiat, quam per se expetatur, tolerari omnino posse videtur. *Aqua epileptica puerorum pharmcop. Augus.* quæ ſeorsim laudatur ad illas epilepsias, quæ dentitioni difficulti puerorum ſuperuenire ſolent, eiusdem census videtur. *Aqua antiphribififica*, ex multis nutrientibus, ut medulla panis triticei, lacte capriño, corde, hepate & pulmone vituli, ſanguine porcelli vnius, deinde variis radicibus, herbis & floribus, addita ſcobe ligni ſaffafraſ & cinnamomi cortice, deſtillanda balnei calore, poſtquam ſex plantarum aquis biduo macerata fuſt, vix vlli hodie videbitur magnopere laudanda, aliquibus forte vix tolerabilis. *Aqua capnis*, pro quo alii phafianum aut perdicem commandant, omnino inepta eſt; ſed inepti longe magis veteres erant, qui perlas & aurum ſimil imponebant ad deſtillandum. idem eſto iudicium de *aqua impinguante*, de qua vereor, ne boues in pinguisimo aruo macri & frigosi maneant, ſi non alio quam eius potu ſuſtentandi ſint. *Aqua hypnotica*, quamquam non omnibus numeris ſatis exacta, non tamen omnino eſt contemnda, ſatisque ſecure offerri po-

potest. *Aqua expulsua* nimis inepta est, & ex hordeo mundato ac lentibus, quorum decocta veteres in variolis & morbillis dabant, incrassandi halitiosam materiam causa, nihil omnino intra se fouet. *Aqua cinnamomi cordialis*, quatuor florum cordialium aquis affusis destillata, forte aliquantum gratior altera simplici, vix multum efficacior erit.

§. XVI.

Pergimus ad aquas officinarum compositas spirituosas, quarum satis longus est catalogus. Diuidamus itaque numero sum cætum, primoque dispiciemus de illis, quæ ad vsus externos destinatae sunt, aut potissimum adhibentur. Offert itaque se initio *aqua ad membra tabida*, quæ fit lenissimo calore omnem humiditatem euocando e sanguine, corde & iecinore vituli. Hoc destillatum affunditur satis bonis quibusdam aromaticis & cephalicis, addito simul vino Maluatico, & post digestionem diuturnam noua fit destillatio; & per eam prolecto humoris immittitur molchi notabilis quantitas. Si quid boni efficiet, spirituolo & aromatico principio, moschique viribus debebitur. *Aqua Anhaltina*, quam alii in spirituum classem reponere malunt, terebinthinæ & quibusdam additis aromaticis, cum spiritu vini destillatis, vires suas in acceptis refert. Iam quam oleum terebinthinæ spiritui se non intime iungat; cetera vero aromaticæ ad vincendum eius odorem non sufficient, duobus satis magnis incommodis his subiacet, quæ vsum, cetera non contemnendum, redundant molestiem: qui alias in affectibus frigidis potius quam calidis locum inuenire potest. *Aqua apopleptica*, qualis in officinis nostris prostat, est ad præscri-

D 2

ptum

ptum ZWELFFERI in pharm, Reg. ex cephalicis veris & existimatis, cum plerisque aromatibus, destillata, &c, pro iis, qui completam desiderant ac ferre possunt, ambra moschoque imbuta, satis proinde calida & expansiva, quam nemo homini in periculo apoplexiae sanguineæ constituto interne sumendam facile præbuerit. Externe, scopo resoluendi roborandique, non incommoda aliquando fuerit. Ea quæ pauperum visibus destinata est, intro sumenda magis conuenit: certe minus, quam altera, humores expandet.

§. XVII.

Aqua arthritica, si excipias lumbricos terrestres, a quibus spiritus vini nihil accipere potest, sic satis bona est, si membris ab hoc morbo delitatis eam inducas. Etiam abdomini in colica flatulenta passione vtiliter inungitur. *Aqua cephalica Caroli V. Imp.* est instar aquæ apoplectice cuiusdam, potestque eius usum supplere. *Aqua hirundinum externa* nostri dispensatorii, quæ ad ZWELFERVM refertur, non est illa, quam hic auctor externis visibus destinauit, sed ea ipsa, quam D.D. AVGVSTANI vocant *compositam maiorem*. Potissimum consecrata est vtique internis visibus: sed nec male exterius adhibetur ad odorandum, itemque ad epithemata & membra illinenda in omnibus affectibus, qui genus neruosum excruciant. *Aqua odontalgica* denti dolenti cum gossypio imponitur; agit principio narcoticæ: parum concinna est, *Aquam serpylli compositam* nihil quidem vetat interne dare vel sumere: sed externo usu, tam roborante, quam carminativa & discutiente facultate, facile instar omnium aquarum regina Hungariae, apoplecticarum, arthriticarumque, esse potest: qui VO-

volet, poterit eam camphora adiecta magis discutientem reddere. Bene iungitur cum spiritu liliorum conuallium, lauendulae & theriacali, vel rosarum. Superest tandem aqua vulneraria, quæ & sclopetaria, p' eas d' Argentula de appellatur, nostroque fæculo commendatissima est, præcipue ad discutiendum & inflammationem arcendam. Etiam hanc internis usibus aliqui destinant: credoque non male hoc fieri si vinum cum herbis destillandis satis diu antea versatum fuerit, earumque vires probe imbiberit: quæ admonitio non inutilis est celeb. D. D. IVNCKERI in consp. chirurg. tab. 52. Esse cit hæc aqua, ut alia traumatica, similis fere census, nisi quod albi Græci bona quantitas adiecta est, fere obliuioni tradita sit. Nescio quæ vires ab illo migrare in destillatum possint, mirorque eos, qui talibus multum tribunnt.

§. XVIII.

Ad aquas spirituosas compositas, internis potissimum usibus destinatas, progredimur, quas inter primo loco comparet antifebrilis dicta. De hac dubitatevis iurene spirituosa censeri debeat, quum vini unam tantum partem ad aquæ duas cum dimidia habeat. Valde absconum est, quod hic extracta quatuor radicum, cum totidem herbis pari pondere positis, destillationi committuntur. Exiguum fructum ab illa mihi promitto. *Aqua asthmatica* non caret quidem vitiis concinnæ formulæ laudem eripientibus, sed effectu non desituitur in senum & pituitosorum anhelatione a decubitu serolo originem ducente. *Aqua panis adstringente* tuto carere licet, est enim tota inepta. *Aqua carbunculi* nomine suo promittit medelam morbo, cui carbunculus

D 3

pesti-

pestilens accidit, ne is interioribus partibus inhæscendo vitam auferat. Votum enim tunc est ut in externis eueniaiat, nec ad interiora retrocedat. Est polychresta vbi cunque humores intus compulsos ad superficiem eupimus reducere: deinde etiam externo visu ad epithemata & partium debilitatarum inunctionem proba est. *Carminalia* DORNCREILII proba est, si paucula non magni momenti benigne excuses: sed meliorum eius descriptionem alii tradunt, qui præter charæmelum Romanum bonam quantitatem vulgaris, & vini maiorem quantitatem aslumere iubent.

§. XIX.

Aqua cerasorum laudendulæ auctor magis cephalicam, quam est simplex spirituosa, reddere eam studuit. Quid sibi velit *aqua cinnamomi contra pestem*, ipfemet titulus indicat. Illa, quæ *contra calculum ex nuclei* inscribitur, iucunde bibitur, prodestque illis, qui nimis multum haustis infusis calidis vrinam lentius prodeunt, indeque male habent: vere calculos sp̄rituosa parum iuuant. Fallor an tota hæc aqua cerebroſæ doctrinæ de signaturis est superstructa. Illa, quæ sequitur, Marchionis titulo commendata, ex rebus plerisque bonis componitur, sed quarum paucissimæ vi no parent. Certe radices quinque aperientes, cicer, semina maluæ, hyoscyami, milii foliis, flores bismaluæ, genistæ, ononidis, vt & folia parietariæ & ononidis cum sanguine cerui & hirci parum conueniunt huic formulae. *Aqua contra colicam* omnino melior est, & in flatulenta non potest contemni. Ea, quæ *contra gonorrhœam* inscribitur, terebinthina oleo potissimum agit: commodiorem formulam reddiderunt D. D. ARGENTORATA.

RATENSES. *Cordialis temperata* scopo & viu accedit ad illam carbunculi, sed minus est, quam illa, calida. Laudatur valde a præclaris practicis ad curationem malignarum febrium, quia facit ad diapnoem conseruandam. Eunde scopum sibi præfixerunt, qui *aquam cordis cerui, & e cornibus tenellis*, parare instituerunt, in quibus additamenta supplent, quod a basi non potest profici. *Aqua seu balsamus embryonum* a feminis grauidis, non valde plethoricas, sorberi potest, quoties terore aliquo percusse sunt, aut flatulentis, a prohibita transpiratione & refrigeratione vexantur. Eodem linteal conspersa aut panis tostus abdomini imponantur.

§. XX.

Aqua hysterica officinalis carminatiuorum & antispasmodicorum viribus potissimum instructa est, poteritque non inutiliter dari mulieribus, vteri variis affectibus frigidis laborantibus. *Masticina* est tonica & carminativa, ipsa simplicitate, id est minus diffuso apparatu, commendabilis. *Sambuci composita* parum quidem ab eo trahit, vnde nomen impositum gerit. Scopus videtur fuisse antilcorbuticus: sed & resoluendi quasdam vires fouet, vnde interius & extus adhibita quid præstare possit in magnis lienibus, ab Hippocrate & Celso accusatis, itemque cachexia & gingiuarum fauciumque vitiis, observationi commendatur. Si mei res esset arbitrii successi baccarum plus adiicerem, & pro vnciis libras ponearem: aut potius aquam florum bene paratam substituem. *Aquam theriacalem simplicem* huc refiero, quia plurius in composito, vnde destillatur, contentorum viribus imbuta est, maxime vero anodinis cum alexipharmacis.

macis. Præferenda est spiritui theriacali, cui myrrhæ tantum adiicitur, vt ab ea vires expansiæ & calefactio-riæ nimis multæ debeant accedere. Sæpe hanc aquam, SYLVII & verutiorum exemplo, adhibui, viresque ano- dinas & diapnoicas conspicue deprehendi. Nescio quam bono consilio in mixturam simplicem, loco hu- ius aquæ, quam primæ descriptiones postulant, spiri- tus prædictus fuerit assumptus. Laudo consilium D. D. ARGENTORATENSIVM, qui vtroque modo para- tam apud se prostare volunt. Quæ sequitur *theriacalis compita* sine dubio excogitata est a viro, cui theriaca vila fuit minus parum posse destillato tribuere, ob mel- lis, quæ maiorem partem constituit, nimiam copiam, quippe ex quatuor partibus tres omnino constituentis. Non reprehendo omnino consilium: sed nollem phar- macopoeo permitti vt theriacam cum mithridatio omit- tat, quum ab opio per fermentationem subtiliato vires præclaræ in destillatum migrant, quibus carendum est illis, qui castratum destillatum accipiunt. Campho- ram omnem perdunt, qui hac ratione, quæ præscripta est, eam destillandæ masse adiungunt. Causam docet Exc. D. D. NEVMANNVS *in prælect. de camph.*

§. XXI.

Aqua contra vertiginem carere possunt, qui apople- ðica aut cephalica instructi sunt. Parum habet, quod non insit apopleftice, præter radicem doronici, incer- te fidei, quæ fere magis requiritur ab illis, quibus natura eius prouentum negavit, quam ab his, qui proximi sunt alpibus, vnde ad nos afferri debet. Evidem miror cur calami aromatici drachma semis in formula admittatur, doronici quatuor integræ ponantur. Sed quo- tidia-

tidiana optima fastidiuntur; inhiamus talibus a quibus decipiatur. *Aqua virtutum* titulo ipso nos allicit: vix tamen alias possidet, quam quæ in multis aliis carminatius, cephalicis, carbunculi, & similibus, obuiæ sunt, nullumque periculum proscriptarum virtutum subibit, qui hac carere officinas potuisse dixerit. Sequuntur aquæ, quæ vocantur, *vite*, quas inter prima incedit, quæ *alba pretiosa* insignitur. Nolim negare eam ex optimis vegetabilibus collectas vires complecti: sed de eo subinde dubitare soleo, annon huiusmodi aquæ, dum nimis bonas reddere enixe studemus, ab utili bonitate desciscant, peioresque ventribus reddantur. Clarius dicam, quod sentio. Nihil potest efficacius ad vires excitandas, & circuitum humorum languescentem intendendum, dari cogitariue ipso bono spiritu a vino generoso per destillationem auocato, si quidem illum modo iusto, & tempore conuenienti, exhibeas languentibus. Quæ igitur vera dari indicarique potest necessitas hunc spiritum tot tamque variorum vegetabilium sulphureis oleofisque particulis oppendi & onerandi; quæ vix possunt sine effectu in nobis versari, adeoque non subinde mouere, quæ mouenda non erant? Mihi quidem tam miscellaneæ medicinae numquam placent: magisque laudo purum spiritum, si placet saccharo desumpto temperatum, aut syrupo quodam grato conditum, qui ad solida roboranda & fluida impellenda abunde sufficit. Si ad certas ægrotantis, aut in statu affectæ pericitantisque valetudinis versantis, circumstantias accommodare hanc medicinam visum fuerit: plus utique iuuabit quod simplicitatis & ægritudinis ex æquo habitis rationibus accurate respon-

E

fpon-

spondet. Enimuero cum his aquis vita eo fere res deuenit, vt pleraque a sanis consumantur, nullo consilio medici auditio vel admissio, donec lœsi crebro longo-que abusu ad statum clinicum delabantur.

§. XXII.

Eiusdem generis est, quæ alias *aqua vita*, alias *elixir vita* *Mathioli* vocatur, & sub hoc ultimo titulo in nostro dispensatorio describitur. Sunt autem elixiria ex mente chymi orum concentratissima quæque & ad summum gradum exaltata: quæ eodem ipso nature humanae, cui temperatissima maxime conueniunt, minus congrua censeri possunt, nisi ab hoc statu per addita diluentia revocentur. Quæ sequitur *aqua vita multierum*, spiritui matricali per omnia simillima: nihil habet quo minus viris æque præberi possit: neque video cui muliebris valetudinis temporis vel statui seorsim accommodata sit. Certe externis vsibus, vt ventriculo & abdomini imponatur, vt & vt partes atonia & tumore laxo cedematoso detentas eo inungas, apprime conductit, præsertim si quibusdam in casibus camphoram ipsi iungas. Interne ad flatulentiam, aliasque ventriculi & intestinorum frigidos affectus, moderato vsu vtique conuenit. *Aqua vita pedicularis* non est satis concinna formula: certe passuale, sucus, palmula frustra addunditur: nec video quid præclari a tussilagine, capillo venere & glycyrrhiza in transeuntem spiritum migrare possit. His demitis res redit ad aliarum aquarum vita communem sortem. Illa, quæ *contra pestem* inscribitur, est essentia alexipharmacæ & theriacalis dilutior, sine destillatione parata: vnde aliquid insolentis in nomine depre-

nogi

deprehendimus. Ceterum scopo diapnoico, temporibus & locis grauibus, moderate hausta non omnino improbari poterit, quamdui id agitur, ut sanorum corpora præmuniantur. Certe quum sint aliqui spirituorum vñi vsque adeo dediti, vt nullo die carere illis possint, his non male relinquitur. Vbi autem aliquis iam correptus est, melius vtique illam omitret. Sequitur *alio contractior*, & aloes additamento ingratissima, instar alicuius elixir proprietatis compositi dilutioris, quæ non multum ingenii aut iudicii prodit: cochleatum assumi potest.

§. XXIII.

Aqua vite stomachica externa, & ipsa potius essentia dilutior, quam aqua destillata, quamquam in titulo externis potissimum visibus destinatur; quod non improbamus. Cur non intra corpus assumi etiam possit causam quidem nullam video. Tandem prodit *stomachalis rubra*, etiam hæc essentia potius quam aqua stillatitia spirituosa, quam non possum reprehendere, si tempestive in affectibus & subiectis frigidis fuerit exhibita. Claudit seriem & scenam aquarum harum illa *zedoria* tam simplex, quam composita, vtraque cum vino destillata, & satis bona ad ventriculi frigida vitia, & flatulentias, quæ intestina male habent, sœpeque in mulieribus hysterici mali scenam aperiunt. Quo nunc labore defuncti aliqua subiungemus, quæ ad plura pertinent, & hoc reseruata sunt, ne ad singulas aut plures repetere opus esset. Scilicet de quantitate, qua aquæ cuiusvis generis intro sumenda capi debeant, omnino quæri iure posse videtur. Et in simplicibus quidem

E 2

illis

illis, mere aquosis & alterantibus, exiguum est errandi periculum: vsque adeo vt aliquæ in iulepis & potiunculis large, ad sitim sedandam & acres in primis viis humores efficaciter diluendos, imperari possint. Quæ vero virium euacuantum non expertes sunt, vt aquæ rosarum, liliorum conuallium, bryoniae, fumariae, scorpii, non sine determinata dosi & iusto tempore offerantur, ne præter spem & opinionem eueniat, quod nec optaueramus neque putaramus.

§. XXIV.

Spirituosæ aquæ vtique astimari debent pro eo, ac magis vel minus spirituosis partibus repletæ sunt: & pro subiecti morbiique conditione. Si optimum vinum Rhenanum destillemus, vix ultra vnam vnciam dephlegmati, vt loquimur, spiritus ab integra mensura accipiems: quare qui vnciam aquæ spirituosa ex balneo, vt præscribitur, destillatæ hauserit, tantundem oportet ipsum caloris percipere, quantum is, qui vini optimi integrum mensuram potauerit. Nam si ille spiritus oleofis & expansiuis multis aerium aromatum, radicum, seminum viribus fuerit simul iunctus, duplo magis, vel triplo etiam, exagitari eius humores necessarium erit. Prudenter itaque astimandum est quid præsenti conditioni eius, qui bibiturus est, conuenire possit. Nam si is sit homo, isque eius morbus, vt vino ipsi interdicendum videatur: tanto magis erit ab aquis spirituosis arcendus. Commodissimum autem est illis spirituosis duplum vel triplum mere aquosarum aquarum iungere, & dosin deinde per cochlearia aut cyathos, quibus infusum theæ sorbillamus, admetiri.

§. XXV.

§. XXV.

Quando aquæ externæ præscribuntur & commen-
dantur, cautio sit in illis, quæ odorata fere nequeunt,
ne talia pro ipsis offerantur: quare apoplextica, car-
bunculique aqua, ut & aliae, sine moscho & ambra & cum
ipsa prostant. Deinde cautio sit ne lintea istiusmodi
aquis omnino madentia imponantur: nam non solum
alteratio notabilis hinc consequitur, verum etiam spi-
ritus poros ingressus humores subit, inque iis notabili-
lem commotionem facit: ne dicam de illo statu, vbi
cutis erysipelaceo tumore nitet: quo sèpissime magnum
hominibus damnum illatum est ab concentratissimo
spiritu, qui proxime sub cuticula subsistentem sanguinem
subiens, eius serosam partem non aliter coagulat,
quam albumen oui ab igne inspissari solet: vnde fieri
non potest, quin exulcerationi ineuitabili causam an-
samque præbeamus. Si vero leuiter tantum consper-
sa lintea, vbi vix sensibiliter adhuc madent, imposuer-
is, non solum illud periculum deuitaueris, verum
conspicuum etiam fructum senties. Aliquando iuuat,
vbi discutiendi scopus est, ad vnam spirituosalium a
quarum partem, duas aceti aut lucii citri partes adsu-
mere: quo casu seorsim acetum rosaceum laudabile est:
quod in terribili tumore oculi male tractati, cum do-
lore intolerabili, iunctum spiritui rosarum camphora-
to & pauxillo essentiæ croci, fere eodem die omnia ad
tranquillum & optabilem statum redegitse cum insigni
gaudio recordor.

§. XXVI.

Constitueram initio post aquas destillatas in nostro
E 3 dispen-

dispensatorio præscriptas, laudare quasdam in Germania superiori visitatas, inque pharmacopoeis & dispensatoriis, Augustana, Argentoratensi, Ratisbonensi laudatas, vt & ex pharmacopœa Bateana aliquas: sed quod temporis & spatii angustiis exclusum me video, super sedendum hac opera nunc existimo. Unicum addere licebit, propter illos medicos, qui compendiosum apparatus optant, quem iter facientes ad loca pharmacioliis destituta, & in castris secum possint ducere. Nihil enim magis molestum est, quam tantam aquarum farraginem secum portare: nec ubique locorum ea est commoditas, aut tantum otium, vt parandis ipsis operam nauemus. Licet autem plerasque lane aquas, que operæ pretium faciunt, breui comparare, si quis in pharmacorum theca habeat destillata plantarum olea. Sic si oleum cinnamomi habeas, momento parabis aquam fine vino laudabilem, si guttam olei cinnamomi sacchari frusto instilles, idque mortario conteras, & aquæ communi pure immittas. Si illam cum vino desideres, eiusdem olei guttam vnam vel alteram spiritu vini purissimo misceas: huic mixto aquam, quantum satis videtur, adiungas: habebis, quam optare possis optimam, aquam cinnamomi cum vino.

§. XXVII.

Facile apparet quam late hæc enchiresis pateat. Quotquot enim vegetabilium destillata olea in officinis prostant, eorum aquæ illico possunt parari nihil deteriores, nisi aliquantum etiam meliores illis, quæ per integrum annum sæpe afferuatae fuerunt & interim vires

vires dissipauerunt. Iuuerit etiam propter illos, qui ex publicis magnarum virium officinis ad itinera & bellorum expeditiones instruere se cupiunt, oleorum destillatorum numerum extendere, vt sane polychresta olea absinthii, draconculi esculenti, millefolii, cochlearie, semper recentia & proba exstarent: quæ ex plantis in pleno flore aut ad femeponendum iam adultis, distillatione facile impetrantur. Tot autem aquarum compositarum, vitæ, carbunculi, cephalicarum, apoplecticarum imitamenta & succedanea, si non omnino viribus & vsu potiora, parare facillimum erit, cui purissimo vini spiritui pura ætherea olea, scopo conuenientia, iusta addere proportione placuerit, deinde aquam communem, &, si placet, saccharum admiscere.

Sed satis aquæ profluxerunt; claudendi suntriui: esto heic

F I N I S.



Sewiß, Hochedler Freund, ich glaubte
Dich anzest,
So wenig als Du mich, an diesem Ort zu sehen,
Noch weniger den Tag, der Dich zu Ehren setzt,
Und Deine Scheitel krönt, mit Dir hier zu be-
gehen.

Wie glücklich war ich nicht, da ich Dich heut er-
blickt?


DU sprachst: Man drücket schon und zwar den
leßten Bogen.

Wolan so werde nur noch dies mit eingerückt:
Das Glück sei Dir, Mein Freund, DU aber
mir gewogen.

Mit diesen wenigen Worten wolte dem Hochge-
ehrtesten Herrn DOCTORANDEN, als er Den-
selben unvermuthet kurz vor Seiner Promo-
tion in Halle angetroffen, seine Schuldigkeit
bezügen,

Dessen verbundester Freund und Diener
Ernst August Dürfeld,
Sax. Goth. Med. C.

¶ (o) ¶



Diss. Halle 1737(1)

ULB Halle
003 855 163


3



56.

vD 18

B.I.G.



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE

AQVIS DESTILLATIS OFFICINALIBVS

QVAM

P R A E S I D E

D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINÆ ELOVENTIÆ ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO

ACADEMIÆ CÆSAREÆ NATVRÆ CVRIOSORVM ET
REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BERO-
LINENSIS SODALE

~~PRO GRADV DOCTORIS~~

RITE CONSEQUENDO

A. d. Junii Anni MDCC XXXVII.

PVBLICE DEFENDET

CHRISTIANVS GODOFR. LIEBERS

SCANDAVIENSIS MISNICVS.

HALAE MAGDEBURGICAE

Litteris JO. CHRIST. HILLIGERI, Acad. Typogr.

22.